DE TABACO STERNVTATORIO VVLGO Vom Schnupff-Taback

AD D. XIX. DEC. MDCCXXVII.

DISPVTABIT

M. ANTONIVS GVILIELMVS PLAZ

ET

IO. CHRISTOPH. MARCI

COSWIGA-ANHALTINVS.

EDITIO SECVNDA.

LIPSIAE

LITERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMII,

MDCCXXXIII.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

§. I. *Thema tractationis.*
§. II. *Origo Tabaci.*
§. III. *Eius in vſum ſternutatorium ingenioſa commutatio.*
§. IV. *Eiusdem vſus, tum omnis conditionis hominibus familiaris,*
§. V. *Tum foemellis,*
§. VI. *Nec non ipſis Medicis.*
§. VII. *Eius particulae conſtitutiuae.*
§. VIII. *Tranſitio ad tractationem, de noxis ex ea oriundis.*
§. IX. *Excuſationes, quibus Tabacophili utuntur.*
§. X. *Plures noxae recenſentur.*
§. XI. *Odoris organa afficit.*
§. XII. *Viſum hebetat.*
§. XIII. *Auditui obeſt.*
§. XIV. *Pectoris morbos auget.*
§. XV. *Sanguinis orgaſmum excitat.*
§. XVI. *Grauidis nocet.*
§. XVII. *Loquelae ſuauitatem impedit.*
§. XVIII. *Concluſio.*

§. I.

QVemadmodum tritum illud: *Trahit ſua quemque voluptas*, antiquiſſimae eſt originis, vſusque in genere mortalium pridem inueterati; ita neceſſe plane non eſt, vt de eius certitudine eruenda, variisque argumentis demonſtranda, magnopere ſimus *Thema tractationis.*

ſolliciti, experientia illud quotidianis exemplis, de hominum opera, aut circa varia inuenta, aut res quaſcunque, quibus tum ſibi oblectamentum creare, tum aliis placere poſſe putant, teſtantibus, abunde probante. Videmus ſic, alium alio ciborum genere delectari, a quo alter abhorret, alium veſtimenta Gallorum, Anglorum, Polonorum, fere dixerim extremorum Indorum ſuo applicare corpori, alium habitu in ſua patria recepto contentum, viuere. Vt varia, quae hic recenſere tum prolixum foret, tum inſtituti ratio minime poſcit, ſilentio praeteream, vnicam ſaltem producturus ſum herbam, cuius tam varius vſus haud paucis abhinc annis innotuit, quam, forte ab inuentore Nicotianam, a natali ſolo Tabacum appellare ſolemus. Multiplicem eadem vtendi modum, dum nempe, vel tubo infarcta accenſaque palatum oblectat, vel, in puluerem redacta ſubtiliſſimum nares titillat, vel in foro Medico multifariam adhibetur, impraeſentiarum enarrare non eſt animus, ſaltem de ſpecie eiusdem agere libet, quam, a vi ſternutationem excitandi, dum per nares attrahitur, *ſternutatoriam*, Schnupff-Toback, nuncupare ſolemus, et cuius vſus hodie apud nos adeo in-

ualuit,

ualuit, vt quilibet, vel infimi ſubſellii homo in eadem delectationem quaerat, de damno ex eius abuſu oriundo, minime ſollicitus. Quibus praemiſſis, iam, ne extra oleas ferar, quantum ingenii vires permittent, paucula, ad rem ipſam facientia, proferre, in animum induxi meum.

§. II.

Ad incunabula itaque herbae huius, ab aliis laudatae, ab aliis omni modo reiectae, (non, quod magnopere neceſſe exiſtimemus eſſe, ſed, ne quid temere omiſiſſe, a quopiam argui poſſe videamur,) reuerti, eiusque locum natalem, inuentoremque commemorare lubet. De inuentore quidem ex denominatione Nicotianae ſuſpicari poſſemus, niſi CO-HAVSIVS in *Tractatu* ſuo, cui PICA NASI titulus eſt, P. I. §. 2. primam eiusdem inuentionem Chriſtophoro Columbo tribueret, non quidem animo, eum huius nouitatis ergo, quo veterem orbem beauit, laudibus extollendi, ſed potius meritis eius, quibus in detegenda noua terrae parte inclaruit, detrahendi, Columbum, affirmans, nouas terras remotiſſimo ſub ſole quaeritantem, in alium orbem Columbae Noaeae inſtar euolaſſe, et loco rami oleae exo- *Origo Tabaci.*

tica Tabaci folia ſecum attuliſſe. Quicquid vero autores de inuentore Herbae ſanctae diſceptent, id certum eſt, eam patriam ſuam habere Inſulam *Tabago* in America, ex numero Caribium vnam, a qua quoque nomen nactam eſſe, facile apparet. Quod ad primum eiusdem herbae attinet vſum, ſi, quid videatur dicere licet, dubio procul is a veteribus noui orbis incolis, familiari mortalibus imitandi ſtudio, ad inuentorem eiusque comites tranſiit. Europaeis enim, heſternis modo aduenis, protinus ac primo omnium innotuiſſe, et non potius a priſcis inſulae colonis ad hoſpites migraſſe, neſcio, an non temere ſuſpicemur. Caeterum, inficias ire nolim, otium et voluptatem aeque ac cupiditatem quaelibet noua ſectandi, nautarum vulgus, quod naue ignotam adhuc transuehebat herbam, eo adegiſſe, vt deguſtando Nicotianam, laborem ſuum, ad tranſtra ſedere coacti, ſi non facilitare, certe fallere poſſe ſibi perſuaderent, alii autem, quibus ob paulo lautiorem ſortem nihil commercii cum labore nautico erat, ne nihil agerent, planeue otioſi ſederent, inter accenſos Tabaci fumos longi temporis taedium facilius tranſigerent, nugarumque et confabulationum ſuarum fu-

mos

mos ſuauius venderent. Mox aut ipſi egregium hoc, congerrones hoſpitaliter excipiendi, tempusque cum iis felicius terendi remedium aliis commendauere, aut iſtae deliciae ſua ſponte ad videntes, vt ad noua quaelibet ſectanda omnes proni ſumus, tum infimae, tum ſublimioris ſortis dimanarunt, vnde factum, vt paullatim per totum terrarum orbem Nicotiana inclaruerit, eque mapalibus ſordidiſſimis in ipſa principum palatia irrepſerit, et prius in vtilem, mox in ſuperuacuum, tandem vero, quis crederet fieri potuiſſe? in voluptuarium vſum abierit.

§. III.

Eius in vſum ſternutatorium ingenioſa commutatio.

Perueniebat itaque ſaepius commemorata herba ad varias Nationes, atque in iis ad omnis dignitatis eruditionisque homines, qui, ne fruſtra hiſce fumoſis ſuis deliciis tam indefeſſam operam nauare viderentur, laudem iis tribuebant non vnam, quod ſcilicet, ſi Diis placet! caput debilitando, linguam erodendo, humores exſiccando, odoremq; tantum non Ambroſiae aemulum diffundendo, vires inſignes exerceret. Cum vero iſto quotidiano et vulgari vſu, quae omnium gentium eſt nouis inuentis inclareſcendi, et vetera interpolandi cupidi-

piditas, non ſatis haberent curioſi Nicotianae patroni, de inueniendo quoque alio praeter fumigationem vſu, cogitabant, nec infeliciter. Ita enim iis fauebat ingenium, vt, ne os prae reliquis corporis partibus his deliciis ſolum gauderet, de ipſo in puluerem redigendo ſubtiliſſimum, incideret, qui, naribus attractus, pabulum iis afferret, quouis Thymo Caſiaque potius. Nec ſufficiebat praeparare puluerem impalpabilem, non adeo fortaſſis nociuum, ſed addenda quoque erant acria, quae vim Tabaci corroſiuam augerent, quo ſenſibus eo magis manifeſte percipi poſſet, neruique vi Aquae-fortis, quam in praeparatione pulueris ſternutatorii adhibere ſolent, aliquando eo citius ad munus ſuum inepti redderentur. Cumque omnis varietas delectet, vna ſpecies ad voluptati humani generis ſatisfaciendum non ſuffecit, ſed plures diuerſo modo elaborati, diuerſisque nominibus inſigniti pulueres prodierunt, ſeque iis offerunt, qui odoratui ſuo funera facientes, cumulos et tumulos quaſi Nicotianae coaceruant. Vt enim praeteream ſpecies Tabaci, quibus ſub fumi forma vti mortales ſolent varias, certe vix regio inueniri poterit, quae non alium atque alium puluerem

poſſi-

poſſideat, tum ratione praeparationis, tum coloris, tum odoris diſcrepantem, imo ne modum quidem eo vtendi ſeruant eundem, ſed vel puluerem ipſum pixidi incluſum habent, ad vſum iamiam praeparatum, vel ſub ſtiriarum forma ſecum geſtant, et ope radulae paruulae ad vſum aptant, id quod in Nicotiana, Braſilien-Taback, et *Rappeé* vulgo dicta obſeruare eſt, vel formam neſcio quam, vt ingenioſa eſt in vanitatem mortalitas, ei induunt.

§. IV.

Non vero opinari conuenit, quam iam commemoraui herbam, ſaltem hunc in finem praeparari tanto labore, tanta cum diligentia, tamque diuerſis modis ſolere, vt ſaltem iis conceſſa ſit, qui de plebe originem traxere, nec adeo emunctae naris ſunt; ſed et illuſtribus natalibus aeque ac factis clari viri, aliique, non imae conditionis, nullo fere habito ſexus diſcrimine, homines, eandem ſuſpicere, et vel fumando guſtare, vel eandem naribus prenſare, voluptati ducunt, neſcientes, pixidem ex qua clandeſtinum hoc venenum capiunt, Pandoream eſſe, ex qua omne malum, et ſanitatis detrimentum in nares non tam inuitis et inopinantibus inuolat, quam potius lubentiſſime, nec ſine magnis deliciis intruditur. Nec

Eiusdem vſus, tum omnis conditionis hominibus familiaris.

concatenati labores, quibus incumbere neceſſe habent, cohibere poſſunt eiusmodi Tabacophilos, quin, ſepoſito vel calamo, vel quodcunque in manu eſt rerum agendarum inſtrumentum, plenis pugillis in myrothecium irruant, vtramque narem puluere hoc adimpleant, leuamen ſibi aliquod laborum addere ſtudentes, licet adeo infelici ac praepoſtero ſucceſſu, vt, dum ſanitati ſuae conſulere ſperant, lethalem illi ſtragem inferant, eo quidem periculoſiorem, quo magis lento tacitoque arrepere gradu ſolet. Tantam ſibi cladem ac peſtem ex iſto veneno imminere ſi conſiderarent, impenſis credo parcerent, quas nonnunquam emendis pixidibus Tabacariis, (vt ita loquar,) impendunt haud paruas, etiam qui ad remum ſaepe ſedent, et mucido pane aut vappa famem ſolantur, nec ſcilicet, aut ſuo ſibi argento perniciem emerent, aut fatale ſibi lethum aurea vagina tam ſollicite aſſeruandum curarent.

§. V.

Tum foemellis. Quemadmodum vero ea imprimis foeminei ſexus eſt indoles, vt, quicquid noui tum vndecunque, tum maxime ab exteris afferatur, ius eo vtendi ad ſe quoque merito pertinere exiſtimet, ſiue decorum moribusque ipſius ſatis dignum ſit, ſiue minus, parum penſi habens,

ita

ita quoque eiusdem affectus compeſcendi debilitas et impotentia, atque ad aliorum ingenia, vitia etiam haud raro imitanda pronitas in ſumendo vindicandoque ſibi pulueris ſternutatorii vſu clariſſime ſe prodidit. Videbatur enim eius vſus in viris quidem ferri poſſe, quos quaſi antiquo aliquo iure ſuo quaedam formae cultusque decet negligentia, quorumque gulam aeque ac nares nonnunquam immitius haberi, virile, adeoque in laude ponitur, ſed hoc deliciarum genus foeminas etiam delicatulas alioquin ſatis ac molles, viris adeo inuidiſſe, vt et ipſae ad earum communem cum iis vſum adſpirarent, eſſet cur magis mirarer, niſi mihi Maronianum illud occurreret: Nullam fere nouitatem eſſe, qua non et foemina ſeſe induat. Cum enim noſtra aetate eo res redierit, vt ſexus ille, caeteroquin munditiei, vel ad vitium interdum vſque ſtudioſiſſimus, inter ornamenta quaſi aliqua referat, tubo Nicotiana impleto viris aſſidentem vti, eiusdemque fumo delectari, minus erit mirum, ſi videas matres aeque innuptasque puellas pixidem pretioſam puluere Tabaci refertam ſecum geſtare, eumque naribus ſubinde allinendo formoſae faciei, qua tum ſibi tum aliis placere aut ſolent, aut cupiunt, tetram formam addere, et os quaſi eo-

dem externe inungendo, barbas virorum, quas natura ipſis denegauit, aemulari. Qui mos, ex quo obtinuit, ipſas capſulas ſuas nouo quodam ritu aliis addunt ornamentis, quibus conclauibus ſuis ſplendorem conciliare ſolent, imponuntque tabulatis, quae *Threſores*, vel Gallis *Toilettes* dicuntur. Atque, vt iſta quidem leuitas a Germanorum grauitate longiſſime abeſſe videtur, ita in noſtra patria nata non eſt, ſed, ex quo in Galliam et Angliam aliasque regiones, incertum vnde gentium, fuit introducta, etiam ad nos peruenit, et adeo hoſpitaliter excepta fuit, vt nunc videas eiusmodi foemellas vel inter ipſum luſum Tabaco operam nauare, cui ita eſſe aſſuetas conſtat, vt ſemper digitis, non ſine indignatione ac taedio ſodalium, licet pauciſſimarum forte, in pixide ſit negotium. Cumque ad matrum exemplum filiarum quoque componantur mores, non mirum eſt, ſi infantes tenelli biennium vix egreſſi conſpiciuntur, qui mature ſanitati ſuae inſidias ſtruunt, rationisque organa, quae ob aetatis teneritudinem adhuc tenella habent, plane debilitant, inque conſuetudinis huius peſtem, nullo conatu poſthac tollendam, nulla furca expellendam, etiam inuiti incidunt. Et quicquid contradicat Medicorum induſtria, quicquid dehortentur,

quic-

quicquid damni ex hac peſſima conſuetudine oriundi praeſagiant, ſurdis tamen narratur fabula, ad reſponſionem paratiſſimis, ſe eodem iure prenſandi puluerem ſternutatorium gaudere, quo Medicos.

§. VI.

At, in *Medicos* dum incido, fateri erubeſco, quorundam eorum fere dicerem culpa, nec admodum laudabili exemplo fieri, vt nullum fere remedium, miſeros mortales ab infauſto huius pharmaci abuſu reuocandi ſuperſit, nec ſatis firma dentur argumenta, quibus ab huius ceteroquin vtilis herbae nimio vſu abſtrahi poſſint. Cum enim, ſi non omnes, certe Medicorum magna ſit pars, qui ſibi heic plus aequo indulgent, aliisque quod vitio vertunt, in eo ipſo peccant: ideo fit, vt, cum ſalutariter ſuadeant, ſaepe non audiantur; quia, vt eſt in prouerbio, ſe non curant ipſos, nec exemplum imitationis, ab hac noxia re abſtinendo, praebere conantur. Quod eos facere tanto magis deceret, quo debiliora ſunt, fundamento nempe admodum infirmo innixa, et quo minus Medico digna, quae proferre ſolent ad palliandum iſtud ſuum cacoëthes, argumenta. Egregium enim Tabaci vſum eo imprimis nomine ad ſidera vsque tollere ſolent, quia inſignem praeſtet opem in

Nec non ipſis Medicis.

praecauendis malis, quae ſibi metuant a myaſmatibus exſpirationibusque nociuis aegrorum, quas interdum in conclauibus eorum deprehendi aſſerunt, qui febribus malignis, aliisque morbis infectiuis laborant, quibus praeter omne dubium ſe corripi oporteret, niſi nares obſtruerent, ne transgreſſus ad pulmones fieret particularum vel venenatarum, vel aliarum quarumcunque, quas ſibi interdum fingere voluptati ducunt. Verum enim vero, nec euictum adhuc eſt, iſtam Tabaci eſſe virtutem, aut, ſi eſſe largiamur etiam, certe ſolummodo ad Tabacum refugiendum ideo non eſſet, in hunc finem adhibendum, quia ob allegandas infra cauſas cum variis noxis eſt coniunctus, tutioraque adeo remedia forent circumſpicienda. Qui vero fit, vt alii Medici, certe non minus in arte ſua periti, ſimilisque notae aegrotis inſeruientes, ab infectione immunes ſint, cum Nicotianae et fumum et puluerem cane peius et angue fugiant? certe, ſi tantam vim Tabaci eſſe argumentis ſatis praegnantibus conſtaret, verbis non ſatis depraedicari poſſet, quod cum non ſolum factum non ſit, ſed et experientia contrarium affirmet, eius nempe vires corpori humano maxime deprehendi nociuas, merito a Medico

pru-

prudentiori eius vſus, tum ſuae ſalutis cauſa, tum ob exempli periculum, ſedulo vitandus eſt.

§. VII.

Eius particulae conſtitutiuae.

Iam vero neceſſum eſt, vt, priusquam de viribus herbae noſtrae, cauſisque, cur non raro noxia ſit, verba faciamus, eiusdem particulas conſtitutiuas excutiamus. Easdem ergo ſi examini ſubiicimus, reperimus primo omnium moleculas ſulphureas, quae odorem conciliant Nicotianae, vt naribus excepta, in ſenſum olfactus incurrat, nec ſolummodo odor ei inhaerens praeſentiam ſulphuris probat, ſed et pronitas ad flammam concipiendam, (id quod in foliis eiusdem exſiccatis, tubuloque certo inditis, fumumque de ſe ſpargentibus, videre eſt,) nec non particulae pingues et oleoſae, quae non ſolum in foliis recentibus attactis ſeſe produnt, ſed et igne chymico, quanquam non ſine nauſeoſo foetore eliciuntur. Iam ſalis in Nicotiana exiſtentiam vt operoſe demonſtremus, ideo non opus eſſe videtur, quia vel ipſo ſapore cognoſci poterit. Quodſi cui ad fidem faciendam non ſuffecerit, effectus ipſe teſtabitur, herbam ſanctam intrinſece, vel ſub forma fumi, vel olei, vel in ſubſtantia datam vi molecularum ſalino-acrium ventriculum adeo ſtimulare, vt vomitus eadem excitetur. De Terra cum

eadem

eadem coniuncta tanto minus eſt cur quiſquam dubitet, cum nempe nil niſi materia terrea ſit, et, ſi ex incinerata prius eadem aquaeque iniecta ſal eluatur, lixiuio decantato puluis remaneat, nil niſi terram deſignans.

§. VIII.

Tranſitio ad tractationem, de noxis, ex ea oriundis.

Quibus praemiſſis, vellem nunc adeſſent aequo animo, qui Tabacum panaceae inſtar proſequuntur, ſententiamque ex iis, quae dicentur, probe penſitatis, ſibi ipſis ferrent ſuam. Dabo enim operam, vt intelligant damnum inſigne et luculentum immodico vſu pulueris Tabacini conciliari poſſe, cui corrigendo et auertendo, nullum fere tempus, nulla medicamentorum vis, nulla Medici ſolertia ſufficere queat, quam beneuolentiam me a lectoribus eo facilius impetraturum ſpero, quo magis, quod dicam, vtilitate ſe ſua commendabit et aſſenſus dignitate. Sequar enim viros Medicos, autoritate ac fide magnos, e quorum ſcriptis maxime nociuum, imo lethalem effectum deliciarum iſtarum, quibus noſtri ſeculi genius ſe immerſit, proponere in animum induxi, omnium ſimul puluerum ſternutatoriorum reliquorum triſtem euentum ſub vno iſto titulo Nicotiani complexurus. Et primo quidem loco prodeat ruſticus ille, quem narrat KERCK-RIN-

RINGIVS *Spicileg. Anat. Obſeruat. 51. p. 110.* vſu pulueris ſternutatorii non frequenter, ſed ſaltem ſemel adhibiti, adeo validam ſibi conciliaſſe ſternutationem, vt ingenti ſanguinis copia ob vaſa cerebri lacerata per naſum eiecta, exanimis ferme conciderit. Parum ergo aut nihil abfuit, quin miſer iſte homo, ſiue ſuo ſiue aliorum conſilio ingenioque peccauerit, in culpam autochiriae inciderit, qui ſanitatis, imo vitae ſuae, vt mitiſſime dicam, ſe ipſum praeſtitit veſpillonem. Alienum hoc periculum eſt, at felix, quem illud cautum facit; caeterum, amore ſui, quem ipſa natura praecipit, niſi fallor polleant oportet admodum mediocri, qui, quod ipſi ſibi imminens damnum mente praeuidere atq; augurari poſſent, ne exemplis quidem quotidianis, illo, quod iam expoſuimus haud laetioribus, edocti, euitare conantur, neq; a peſſimo hoc inſtituto deſiſtunt, ſed pertinaciſſime potius eidem inhaerent.

§. IX.

Et ſunt tamen, qui, ſiue quia tanta ſibi indulgendi licentia laborant, ſiue, ne monitionibus locum dediſſe videantur, adeo de exitioſis effectibus Tabaci conuinci aut nolunt, aut nequeunt, vt potius manibus pedibusque, quod aiunt, eiusdem vires eximias tueantur *Excuſationes quibus Tabacophili vtuntur.*

C ac

ac depraedicent, nec vereantur, id, quod fortaſſis caſui cuidam, vel alii medicamento adſcribendum erat, Tabaco vindicare, aut quod vni alteriue leuiuſculo malo ſalutare fuit, in omnibus etiam maioribus ſperare. Videamus enim, qui lippitudine oculorum, ozoena, aliisque Catarrhis, quibus humores abundantia et acrimonia nimia peccantes fomitem praebent, laborauere, ſi aliquo pulueris huius vſu ſibi ex voto conualuiſſe videntur, quanto cum ardore eum venerentur, tanquam non mali modo illius Medicum, ſed et omnium morborum tum praeſeruationem, tum vniuerſale remedium. Imo ad ipſas animae rationalis vires, ne quid ad conciliandam ei dignitatem deſideretur, vel conſeruandas, vel augendas illum pertinere contendunt, vtpote cui virtutem quandam, rationem ingeniumque acuendi ineſſe credunt. Nempe eodem ad cerebrum, animae fortaſſe ſedem ac domicilium, a ſordibus expurgandum vtuntur, ſordibus potius implentes et onerantes, quam liberantes. Et mirum, ni idem de Tabaco ſerio praedicent, quod ille in GERHARDI *Theatro Italo* de ſe facete inquit: *Je ſuis la Quinteſſence des Academiciens, des Peripateticiens, des Stoiciens, des Pyrrhoniens, des Platoniciens, des Electiques.*

J'ay

J'ay une tabatiere, qui eſt pleine de l'eſprit de tous les grands Philoſophes, mis en poudre, comme de Thales, d'Anaximandre, d'Hypocrates, d'Anaxagore, de Teleſius, d'Archelaus, de Carneades, de Lucrece. Quis haec legens, grandiloqui nugatoris iocos non ſuauiter rideat? at vero quis non vltro etiam intelligat, haec ſerio in eos dici, qui ſuae perſuaſioni in rebus aut tenuibus aut etiam noxiis ita confidunt, vt ab ea dimoueri nequeant, ſed ſeſquipedalibus verbis potius celebrent, aliisque, quotiescunque ferat occaſio, commendent. Quorſum iurene, an iniuria referendi ſint Tabaci amatores, penes alios eſto iudicium, imo, ſi probi, et ingenui ſunt, etiam penes ipſos. Certe, quantum iſti ſuo delicio tribuant, adeo celare nequeunt, vt potius clare ſatis ante omnium oculos ponant, dum languore quaſi et anxietate aliqua corripiuntur, ſi ab iſta ſua prenſandi conſuetudine vel horulam, ſiue, quod quocunque caſu medicina ſua carent, ſiue, quia loci temporisque ratio peſſulum obtrudit, deſiſtere coguntur; imo ne noctu quidem abſtinere queunt, neque facere poſſunt, quin expergefacti molle ſtratum relinquant, atque ad ſolatium ſuum aduolent, ſuauius ſcilicet, quod ſupereſt noctis, ſomno nunc exacturi. Lepidum vero genus homi-

num, qui noctes ſibi pro placidis inſomnes excitant, vitamque dum prolongare volunt, decurtant, helleboro melius vſuri!

§. X.

Plures noxae recenſentur: Producit vermes.

Age! praeter illud ingens malum, quod ſternutando ſibi commemoratus ſupra ruricola accerſiuerat, percurram quosdam ſiniſtros effectus alios, quos de puluere Tabacino ſperare poſſumus. Pertinet huc *generatio vermium in cerebro*, quorum ſeminium in dicto puluere delitefcit, quod an ad ipſam eiusdem naturam, ad producendam tantam perniciem aptam referendum ſit, an vero ouula vermium ſubtiliſſima, vel dum adhuc ſub dio in agris germinabat, vel quocunque tempore locoue alio a noxiis inſectis impacta ſimul eodem puluillo contineantur, de manu in manum, de officina alia in aliam transferantur, et poſthac in cerebrum attrahantur, iam euincere non annitar, neque enim alterutrum a probabilitate magnopere alienum eſſe, neque etiam ad praeſens negotium multum facere videtur iſta controuerſia, id tamen omni dubitatione certius eſſe puto, cerebrum acredine Tabaci eroſum, pulueremq; diu ibidem detentum cum humoribus in fermentationem et putredinem abire, taliaque producta vermi-

formia proferre. Vermium enim in cerebro generationem dari praeter Bartholinum, Hildanum, alioſque probatae auctoritatis viros affirmat TVLPIVS, puellam recenſens, exquiſitiſſimis capitis doloribus vexatam, qui poſt extractionem vermis, medii digiti longitudinem aequantis, deſierint. *Obſeru. Medic. L. IV. Cap. 12.* Rem enarrat haud multo abſimilem KERCKRINGIVS *Spicil. Anat. Obſeru. 43.* de foemina quadam, quae ex naribus poſt longas pectoris anguſtias, vehementem tuſſim, cephalalgiamque non ferendam, vermem emunxerit, qui poſthac pepererit, manifeſto indicio, ſeminia verminoſa etiam ad cerebrum per nares perferri, ſiue id ſolo aëris hauſtu ſiue mediante aliqua per nares attracta materia arte facta, cui calamitati accommodatiſſimum eſſe paratum ex Tabaco puluerem ſternutatorium exiſtimo, fiat. Quod cum ita eſſe, Medicorum aſſerant Obſeruationes, quis haec exempla audiens, ita indulgens ſit genio ſuo, tamque vulgari conſuetudini obſequioſus, vt tam periculoſo huius pulueris vſu materiam cerebro ingerat, ex qua id vermibus generandis iamtum aptum, putredinem vel fermentationem concipere queat, vnde horrendi dolores, memoriae infelicitas, phreneſis, incommoda ſexcenta alia,

 imo

imo mors ipſa ſequi, ratione ſana aeque ac experientia luculenter docente, poteſt.

§. XI.

Odoris organa afficit.

Offert ſe alia haud forte paulo minor, atque ideo ſicco pede neutiquam praetereunda infelicitatis ſpecies, ad Tabaci vſum infauſtos ſuos natales referens, quae odoratus ſenſum aut grauiter affligit, aut penitus proſternit; Id certe extra dubium, etiam apud ipſos Tabaci veneratores poſitum eſſe propemodum inter omnes conſtat, et recordabuntur fortaſſis ex iisdem audiuiſſe, quibus aliqua cum id genus hominibus intercedit familiaritas, quod magna odoratui huius pulueris vſu inferatur iniuria, imo tandem ſenſus huius facultas aut impenſe debilitetur, aut plane deſtruatur. Quod fieri, tanto minus mirum eſt, quo luculentior reddi poteſt ratio anatomica, cuius veſtigia in Simon. Pauli Tractatu *de abuſu Herbae Tabaci et Thée p.704.* legiſſe memini. Iſte vir ſagaciſſimus, cum, grauiſſimis commotus argumentis, proceſſibus mammillaribus nimium exſiccatis vim odoratum abolendi attribuat, anſam ſimul nobis praebet, coniiciendi, imo audacter affirmandi, quod et ipſe adiicere poterat, neruos olfactarios primi paris neruorum cerebri, per os ethmoideum, ſiue cribriforme tranſeuntes,

dum

dum pulueris Tabacini vſu maxime afficiantur, non ſolum ſimul cum mammillaribus exſiccari, ſed et tandem adeo erodi, vt dein ipſe Tabacus ad cerebri ſubſtantiam deferatur. Quo facto, quid, niſi facultatis odorandi plenaria proſtratio, imo vt dicam quod res eſt, mors ipſa ab iisdem metuenda ſit, qui quaſi eam ipſam ob cauſam ſumma vi in nares intrudunt nouam aliquam mortis paullatim conſciſcendae materiam, vt ab odoratus iactura ad cerebri putredinem eroſionemque paullatim aſcendentes, immaturam mortem, quam de induſtria quaeſiuerunt, obtineant, quam, ſi ſaperent, maximopere fugerent. Et ſane, ſi ſalutaria conſilia admittere noſſent, exemplo prudentiorum, qui, cum etiam ſolo odore florum indigenarum, quales ſunt lilia, violae, roſae, multos non ſolum lypothymiis affectos, ſed et odore plane priuatos fuiſſe, perpenderent, illorum vſu diligentiſſime, cautiſſimeque abſtinuere, hancce infenſiſſimam odoris peſtem ſedulo eſſe euitaturos, non dubito. De liliis autem, &c. quae commemoraui, me non fruſtra dixiſſe, exemplis COHAVSIVS corroborat, quae *Tractatu de Pica Naſi P. II. §. 1. p. 74.* collegit.

§. XII.

Iam, vti odoratus facultati vis infertur, *Viſum hebetat.* ita

ita viſus organa haud magis tuta fore, credibile eſt. Sed ad ea nunc liceat procedere, et, quam non pauca hic proſtent luctuoſa hominum exempla, qui intempeſtiua et immodica Tabaci vſurpatione damnum irreparabile, nempe viſus abolitionem, vel certe hebetudinem ſibi contraxere, in medium adducto ſaltem vno vel altero declarare. Et narrat quidem FABRICIVS HILDANVS *Centur. I. Obſeru. 24.* iuuenem quatuordecim annorum, qui pignore poſito cum altero certauerit, ſe pro lubitu, quotiescunque vellet, ſternutare poſſe, inſtituto certamine tam vehementi ſternutatione correptum fuiſſe, vt centies et vltra repetita fuerit, quo facto inſigni cephalalgia et poſthac viſus hebetudine affectus, poſtera die eundem plane perdiderit, aegre admodum poſtea curatus. Ne mihi hic quis obiiciat petulantiam iuuenis, aut nimiam commotionem, qua ſibi is temere tantum malum accerſiuerit, nihil enim pro cauſa aduerſa lucrabitur, quia negari nequit, quemlibet ſe ſternutatione, imprimis, quam arte praeter neceſſitatem excitat, eidem periculo ſubiicere, a quo longiſſime abeſſe, ne quid ſua culpa ferat incommodi, virum prudentem decet. Quodſi longius, ac debebat videtur petitum, vtpote cuius cauſa

ad

ad Tabaci vſum ab auctore non referatur, liceat aliud exemplum adiicere, cui, cum de eius veritate certus ſim, hic locum concedere non vereor. Nempe quendam ex amicis noui, cui, vt ipſe enarrauit, poſt nimium vſum pulueris huius errhini, et praecipue Hiſpanici, quem Eſpagnol nuncupamus, inter ſcribendi operam literae videbantur fluctuantes quaſi, oculorumque limbi ſemper aqua referti erant, validis inſuper lypothymiis accedentibus, ſed ſapere didicit hic piſcator ictus, vtinam et ſapiant alii! ne ſera ducti poenitudine tum denique deſiſtere velint, cum maximo ſuo cum detrimento experientur, quod ante ſibi perſuadere vel non poterant vel non volebant, cum tamen rei veritas et periculum non ſolum allatis iam exemplis pateat, ſed et rationibus ſuis nitatur, certioribus quam vellent quidem iſti ſuae ſanitatis tam ſupine negligentes. Eas ex SIM. PAVLI Tractatu citato petere lubet, qui quaeſtionem quandam, cur multi propter ſternutationem, praecipue ſibi ſtudio excitatam, coecitatis ſibi contraxerint labem proponens, tribuendum id ſtatuit vel arteriarum carotidum ramis, qui, cum neruis opticis vicini ſint, eos ob vſum Tabaci nimium comprimant, vel pituitoſo cuidam humori, qui ex cerebro ad neruos dictos translatus, eos obſtruat, vnde coecitas extemplo

oriatur, nullo modo, vel certe rariſſime curanda.

§. XIII.

Auditui obeſt. At, nondum heic eſt calamitatum terminus, ſed plures ſunt ſtrages, quas praeterea Naſalis ille puluis edit. Officit enim ſupra omnem modum, tum auditui, tum omnibus neruis in cerebro reperiundis, non ſolum vi corroſiua et ſtupefaciente, ſed potiſſimum ſternutatione, ſi qua exinde enaſcitur, qua, cumprimis frequentius repetita fieri ſolet, vt ob hinc metuendam neruorum diſruptionem homines ſibi poſt plurima eademqué grauiſſima mala, temere conciliata etiam mortem ipſam accerſant. Ita enim IO. CHRISTOPH. MAGNENVS *Tractatu de Tabaco* §. *1. p. 105.* non paucos interiiſſe affirmat, ob menynges in capite valida ſternutatione diſruptas, exemplum addens viri, vicies quater ſternutantis, cui extemplo ſubſequens vigeſima quinta ſternutatio lethalis fuerit, ob arterias membranasque cerebrum ambientes, confeſtim diſruptas. Tales effectus triſtes ſternutationem excitare, confirmat quoque *Autor Operum Langianorum P. II. Caſu 38. p. 303.* lacerationem inquiens vaſorum, inde ſequentem ſanguinis effuſionem in cerebrum, et per conſequens exitioſa mala conciliare. At vero, inquis, quid ex hiſce iam adductis exemplis culpae accedit ad pulverem

taba-

tabacinum, cuius nullam hic legimus mentionem eſſe adiectam? Sternutationem autem, ex nimio illius vſu excitatam aliquo munitam contra deplorandos iſtos effectus ipſamque mortem priuilegio eſſe exiſtimas? imo tanto magis fugitari oportere ſtatuendum eſt, quanto magis pernicioſum eſt, quod naturae inuitae obtruditur, quam ad quod ipſa per ſe excitatur. Vnde facile eſt intelligere, eos qui eo omnibus modis annituntur, vt nares titillando ſternutationem proliciant, auditus praecipitandi, ipſiusque adeo vitae periculo ſeſe exponere; tanto in ſe iniquiores, quanto inconſultius cauſam mali curioſe marſupio ſecum circumgeſtare, mortemque factis adeo impenſis comparare, et ex pretioſa aliqua capſula haurire non dubitant, quam, ſi ſaperent, abominarentur, multoque aere redimerent, nouumque adeo iniuriae non ſubtilis, ſed ſatis etiam craſſae, vt ab admonitis atque ſcientibus commiſſae, crimen exercent.

§. XIV.

Sed quid de iis ſperandum ominandumue exiſtimabimus, qui, cum vitiis pectoris et pulmonum ſint affecti, non tamen a praua eorum deſiſtunt conſuetudine, quorum complures ſua culpa infelices, haec noſtra lucubratio perſecuta

Pectoris morbos auget.

 eſt,

eſt, ſed eos ſtrenue potius imitantur, et, cum plane ante abſtemii eſſent Tabaci, in eius vſu morbi ſui remedium quaerunt? hiſce praeſagiendum eſt, fore, quod in *Oper. LANGIAN. P. III. Diſp. de Sternutatoriorum Vſu et Abuſu* §. 53. legitur, malum quidem ſe ſuum exagitaturos ſed non ſublaturos, nec eſſe, cur mirentur, ſi ſymptomatibus et doloribus auctis, mors paulatim modo arrepens, nunc excitata plenis alis aduolet, et inopinantibus ſuperueniat. Quae ſententia iis dicta, qui temere et inconſultis rei medicae peritis refugium in Tabaci viribus quaerunt, rationibus itidem nititur non contemnendis. Ne enim ad experientiam prouocem, qua iis, qui perpetuo Tabaci pulueriſati vſui ſtrenue operam dant, docemur tuſſim a puluiſculo hoc ſubtili excitari, ex quo haud obſcure colligi poteſt, illum vel phtiſi, vel Haemoptyſi, vel aſthmate, vel quacunque alia pectoris labe iam vexatis non poſſe non maximo damno eſſe, pronum certe eſt intelligere, exagitari iſtud malum domeſticum per motum ſanguinis auctum, et ita quidem, vt quod auertere volebant incommodum non ſolum augeatur, ſed et nouis morbis occaſio praebeatur; cuius cauſa ad vim acrimoniae, remedio ſuo ficto inhaerentis, referenda eſt. Serum enim, in corpore peccans dum ope eiusdem detrahere et corri-

gere ſtudent, perpetuam ſibi quoque coryzam, perpertuo herbae ſuae vſu contrahunt, nariumque obſtructione aëris liberiorem attractionem impediunt, ſuffocationemque aliqualem patiuntur, non niſi plenaria huius pulueris abdicatione aut tollendam, aut certe mitigandam.

§. XV.

Et haec quidem in genere dicta, ad incommoda vtrique ſexui metuenda pertinent; iam et foeminis, ne, quid ipſis in ſpecie cauendum ſit, ignorent, breuiſſimis dicendum, quod res eſt, vt, quam infidae ac periculoſae ſint, quibus non parua eorum pars nimium gaudet, deliciae, quamque inſidioſa ſanitati ſuae iſta ſit voluptas, diſcant. Praecipue iis, quae plethora laborant, audiendum erit, et memori mente tenendum, quod HILDANVS *Centur. III. Obſeru. LVIII.* de foemina nobili circiter L. annorum relatum reliquit, quae nimia ſternutatione adeo correpta fuerit, vt reſpirare difficulter valeret, dein autem nimio menſium fluxu adeo ſit infeſtata, vt per VIII. ſeptimanarum ſpatium enormi hac haemorrhagia ſatis fuerit excruciata. Ne idem ſibi accidat tanto magis noſtrae aetatis foeminis metuendum eſt, quo praeſentiorem tanto malo materiam pulueris ſternutatorii vſu ſubminiſtrant, cuius tamen iam dicta mulier ab autore non inculpatur.

Sanguinis orgaſmum excitat.

§. XVI.

Grauidis nocet.

Fugiendus praeterea omni modo eſt pulueris iſtius nociui vſus omnis generis grauidis, ſiue in initio geſtationis ſint conſtitutae, ſiue partui propiores exiſtant. Nam, cum paulo ante monitum fuerit, quam aptus ſit Tabacini pulueris vſus, in ſanguinis orgaſmo apud quemcunque, praecipue Plethoricum augendo, hoc loco demonſtrandum erit, vterum gerentibus id mali identidem ſine dubio accidere poſſe. Quis enim neſcit, quam tenerrimae ſtructurae ſit foetus in vtero materno deliteſcens, etiam iam fere perfectus, et quam facili negotio ſaepiſſime factum ſit, vt vel culpa matris tenuiſſima, vel alius accidentis et vix euitabilis mali cauſa, ante partum vterum pro ſepulcro fuerit nactus, vnde abortus, cum ipſius matris vitae periculo non raro euenire ſolet. Quanto maiori vero cum ſtudio ſternutatorii pulueris vſus illo temporis articulo erit fugiendus, cum non ſolum antea enarrata mala ex eo proueniant, ſed et praecipue hoc in paſſu vi ſternutationis, inſignis in corpore excitetur conquaſſatio, certe, fieri facillime poteſt, vt placenta vterina ligamentis non adeo firmis interdum vtero adhaerens, relaxetur, vnde poſtea, ſi non plane lethalis, certe valde periculoſa haemorrhagia cum foetus praematuri excluſione

ſequi-

ſequitur. Quod quam prope aut longe abſit a crimine infanticidii, noſtrum non eſt heic excutere, ipſae et ICti viderint.

§. XVII.

Tandem, cum poſt faciem formoſam, moresque bene cultos nihil gratius, acceptiusque, tum in vtroque ſexu, tum in foemellis praecipue haberi poſſit, quam loquelae ſuauitas ac puritas, raucedine aſperitateque carens, ſeu, quod idem eſt, non impedita libero gutture pronunciatio, omni opera illam amoenitatem, quanquam non curioſe affectare, conſeruare tamen ſtudere debet, quisquis illam a natura nactus eſt. Equidem viri, vt forma eos neglecta decet, ſic forte non magna etiam huius momenti cura tenebuntur; at, quae alias ſatis aut etiam nonnunquam nimis induſtriae in hoc labore ſunt mulierculae, mirari queas, qui fiat, vt de fugiendo tanto gratiarum, quae in vocum decora formatione ſitae ſunt, inimico minime ſint ſollicitae. Licet enim experientia quotidiana tum aliarum, tum ſua doceantur, Tabacum naribus attractum ad os deferri, et per id non exigua quantitate maximo cum incommodo eiici, eodemque modo effici, vt fauces vi Tabaci corroſiua exedantur, et inflammentur, vt adeo exinde vel raucedo perennis, vel vocis iniucunditas oriatur: *Loquelae ſuauitatem impedit.*

malunt

malunt tamen aliquae inſuaues et horridae auditu eſſe, quam huius labis, certe non parum inuenuſtae cauſam euitare, conſultius profecto acturae, ſi etiam ob conſeruandam elegantis vocis gratiam euitarent, quod ob plurima alia, ceu demonſtratum fuit, incommoda, ad extremos Indos, quibus natales debet, merito, et cum ſalute patriae relegandum eſſet. Neque eſt dubium, quin ipſae, de tot malignis eius effectibus conuictae, peſſimumque pharmacum abominatae, virorum quoque animos occupare, atque exemplo ad ſui imitationem, qua in aliis felicitate pollent, allicere valiturae ſint.

§. XVIII.

Concluſio. Poterant plura adhuc de abuſu Tabaci pulueriſati in medium proferri, ſed, nec in conſcribendo hocce opuſculo limites decentes tranſiliendi erant, nec lectori ſatietatem, atque adeo nauſeam commouere oportebat. Antea tamen, quam pedem figo, monendus eſt B. L. me, cum de abuſu Tabaci pulueriſati dicere, et metuenda inde pericula perſtringere, in animum inducerem, neutiquam omnem eius vſum improbare, aut negare voluiſſe, quem in partu, ozoena, catarrhis aliis, Cephalalgia, apoplexia, pluribusque affectibus praeſtat. Quae tamen eiusdem amatoribus aut nullam, aut irritam excuſationem praebent, quorum quippe vitio fit, vt, quod medicinae naturam certis caſibus habere poteſt, quotidiano vſu, eodemque temerario non tam vileſcat, quam potius ſumme noxium fiat.